Muscaria Exotica Musei Civici Januensis
observata et distincta a Prof. CAMILLO RONDANI

FRAGMENTUM IV.

Hippoboscita exotica non vel minus cognita (1)

Fam. NYCTERIBIDAE, Lch.

Gen. **Cyclopodia** Klnt.

Nycteribia Latr. et alior.

Pedes non dilatato-compressi — tibiae sulcis duobus vel tribus circulariter impressae etc.

Sp. — **C. Albertisii** m. *Long.* mill. 5.

Nigro-picea, *pedibus* minus obscuris, sub-compressis.

Coxae praesertim anticae elongatae, sub-conicae.

Femora ad tertium circiter longitudinis transversim impressa.

Tibiae annulis tribus in medietate basale impressis; intus setulis longiusculis tribus, extra duabus munitae.

Thoracis pectines laterales satis apparentes.

Abdomen maris sex-annulatum, segmentis duobus primis latiusculis, tribus sequentibus anguste transversis: sexto longissimo sub-conico, brevissime setuloso, apice mutico, lateribus setigeris: *faeminae* triannulatum, segmento basale leve mediocre, secundo maximo punctulis crebris elevatis sub-granuloso, lateribus ad apicem setoso: ultimo parvo, setulis marginalibus apici cincto.

Variat mas *abdomine* aliquando plus minusve rubescente.

A speciebus congeneribus tibias transversim trisulcatas prae-

(1) Speciebus Musei Civici Januensis, nonnullas addo coll. Prof. A. Bellardi taurinensis, mihi benigniter communicatas, et aliquas coll. meae.

bentibus praecipue difert, annulis impressis in medietate basale sitis, non tibias in partes quatuor sub-aequales dividentibus.

In Insula Goram (Moluccis) lecta a Clar. L. M. D'Albertis, ubi in *Pteropis* et forte aliis *Chiropteris* vivit.

Exemplaria observata in Museo Civico Januense extant.

Gen. **Nycteribia** LATR. et alior.

Pedes non distincte dilatato-compressi.

Tibiae haud circulariter impressae.

Sp. 1. — **N. Jenynsii** WESTW. KLNT. etc.

« Pallide ochraceo-flavescens, setis pectinibusque thoracis, et abdominis basi nigris: palpis longe setosis: oculis sessilibus, rotundatis, simplicibus: pedibus elongatis tenuibus, coxis anticis brevioribus, femoribus tibiisque paulo-compressis. Abdomine ovato, seriebus transversis setarum rigidarum notato, segmento ultimo laminis duabus elongatis, incurvis contiguis stiloque carnoso intermedio subtus terminato » WESTWOOD. — Habitat in China.

(NOTA). In exemplare observato tibiae setas duas longiores praebent satis distinctas, in figuris Kolenati et Macquartii ab illa Westwoodii desumptis, non observandas, sed nota ista tantum, quae facilius fortuita, et patria diversa, speciem distinctam indicare non credidi.

Specimen quod vidi in Museo Civico Januense adest, ex Insula Amboina procedens, ubi *Rhinolophi euryotis* parasitum.

Sp. 2. — **N. Ferrarii** n.

Testaceo-lutescens, abdomine late fusco, unguibus et pectinibus thoracis nigris.

Pedes pallidiores, exiles, sub-nudi, vix tibiarum setulae aliquae distinctiores: coxis anticis satis longis: femoribus omnibus ad medium circiter transversim impressis: tibiis haud circulariter sulcatis: metatarsis gracilibus, circiter longitudinem tibiarum aequantibus.

Abdomen segmentis basalibus forma ordinaria, breviter margini postico setulosis; apicale elongato, leve, et cauda longa, apici bifida terminato (in specimine observato) sub ventre incurvata:

isto ad basim segmenti ultimi apophisi longiuscula, sub-conica instructo.

Unicum exemplar Musei Civici Januensis vidi, prope Bataviam, in Insula Java inventum a Cl. J. B. Ferrari, sed hospite in quo vivit non determinato.

Sp. 3. — **N. Bellardii** n. *Long.* mill. 2.

Luteo sub-testacea, pedibus pallidioribus, non dilatato-compressis.

Coxae etiam anticae non distincte elongatae: *femora* in parte basale transversim impressa, sub-nuda, vix versus apicem setulis aliquibus instructa: *tibiae* haud circulariter incisae, crebre pilosae, setulis exilibus sed distincte longioribus 3-4, basale majore: *tarsi* tibiis paulo breviores.

Exemplaria duo observavi Musei Prof. A. Bellardi, in Chiropteris non determinatis Americae meridionalis inventa.

Fam. HIPPOBOSCIDAE, Lch.

Gen. **Lipoptena** Nitz.

Sp. 1. — **L. capreoli** Rnd. ♀. *Long.* mill. 3-3 $^1/_4$.

Faem. Distinctissima est a *Lip. cervi* L. non solum statura fere duplo minore, sed praecipue oculorum forma, et abdominis pictura: nam *oculi* in nostra manifeste magis angustati praesertim postice, non ut in sp. Linneana ovato-sub-rotundati.

Abdomen vere totum sordide flavidum, vel pallide testaceum, vix basi sub-ferrugineum, non obscure brunneum, vittis tribus sordide albidis, transversis in dorso signatum.

Difert etiam a faemina sequenti *L. mazamae*, cui partim similis, prae caeteris, proboscide crassiuscula, modice elongata, et testaceo-rufa; et etiam pedibus longe, abdomineque breviter nigro setulosis.

Mas ignotus sed probabiliter ut in congenere *cervi* alatus.

In Insula Cypri lecta, sed hospite in quo vivit ignoto.

Coll. Pr. Bellardi.

Sp. 2. **L. mazamae** n. ♀. *Long.* mill. 2 1/4-2 1/2.

FAEM. similis faem. *L. capreoli*, sed minor et pallidior.

Difert a sp. *cervi*, ut praecedens, praeter staturam satis minorem, praesertim colore abdominis toto et aequaliter pallide rufo, basi tantum obscuriore, non transversim in dorso pallide vel sub-albidi fasciati.

A *L. capreoli* praecedente etiam distinctissima, statura minore et praecipue proboscide brevissima, nigra, et exile: non rufo-testacea, mediocriter longa et crassiuscula.

Ab utraque vero diversa, corpore manifeste minus piloso et setuloso, scilicet pedibus parce et breviter setigeris, et abdomine sub-nudo.

MAS, ut in congeneribus facilius alatus, sed non cognitus.

In America meridionale et media *Cervi mexicani* parasita.

Collectionis Bellardi.

Gen. **Myiophthiria** RNDN. (1).

Specie aliqua nova nuper detecta, diagnosi genericae jam evulgatae, notae aliquae addendae sunt, quae ideo sic reformanda.

Caput elongatum, a thorace distinctum: *oculis* lateralibus, longitudinaliter sub-ovatis.

Antennae laminiformes vel squamiformes setosissimae.

Proboscis vel in haustellum filiforme elongata, vel non.

Alae magis vel minus breviores abdomine, apice rotundato et longe setoso: venis in parte anteriore decurrentibus, crassis, praeter costalem duabus, vel tribus si posteriore bifida: venula obliqua discoidale conjunctis, inde areolam basalem constituentibus, postice angulatim sub-dentatam.

Pedes, praesertim postici, validi et elongati, pilosi, et unguibus trifidis apici tarsorum armati.

Sp. observatae.

a. Venae longitudinales sub costalem duae tantum, quia posterior tota usque ad apicem simplex.

(1) Annali del Museo Civico di Genova, VII, 1875 p. 464.

b. *Proboscis* in haustellum filiforme elongata.

Palpi longi sub-incurvi duplo circiter longiores antennis.

Sp. 1. — **capsoides** n.

bb. *Proboscis* in haustellum filiforme non elongata.

Palpi breves, circiter ut antennae.

Sp. 2. — **reduvioides** Rndn.

aa. Venae longitudinales sub costalem tres, quia posterior magis vel minus longe ab apice bifida.

Sp. 3. — **lygaeoides** n.

Sp. 1. — **M. capsoides** n. *Long.* mill. fere 4.

Corpus nigricante piceum et nigro-pilosum, oris margine et genis angustis sub oculos albicantibus.

Proboscis basi crassa pallide lutescens, in haustellum filiforme elongata.

Palpi elongati, sub-incurvi et paulo compressi, antennis duplo circiter longiores.

Alae paulo fuscae antice obscuriores, venis crassis nigris, longitudinalibus sub costalem duabus, posteriore tota usque ad apicem simplice.

Pedes paulo ferruginei, unguibus atris, dente interiore tantum lutescente.

Specimen Musei Civici Januensis, et mei a Collectione Prof. Bellardi provenientia qui speciei exemplaria plura obtinuit a Cel. Prof. C. Semper ab ipso in I n s u l i s P h i l i p p i n i s lecta, sed hospitem in quo inventa non notavit.

Sp. 2. — **M. reduvioides** Rndn. [1].

Pluribus notis coloris, staturae, habitus, forma et numero venarum in alis etc. praecedenti similis, sed faciliter distinguenda, *proboscide* breve non in haustellum filiforme elongata, et *palpis* pariter brevibus, non sub-incurvis nec paulo compressis, longitudine circiter antennas aequantibus etc.

Specimina aliqua observata Musei Civici Januensis, in I n s u l a

(1) Annali del Museo Civico di Genova, VII, 1875, p. 164.

Bonae Fortunae (Borneo) lecta a Cel. O. Beccari, sed animal in quo lecta non indicavit.

Nuper a Cl. De Roder notitiam accepi, speciem hanc inventam fuisse etiam in Insulis Viti, parasitam *Collocaliae vanikorensis* (aves) et *Emballonurae fuliginosae* (Chiropt.). Sed differentia inter duo animantia, in quibus lecta dicitur, talis est ut dubium nascatur, ea speciem unicam parasiti hospitare posse, et *Myiophthirias* meas aliquas, habitu valde similes confusas fuisse, et unam vel alteram istarum vel in *hirundinide* vel in *chiroptero* vitam agere, sejunctim.

Sp. 3. — **M. lygaeoides** n.

Habitu, statura, colore et notis pluribus, *M. reduvioidi*, similis et cum eadem a *capsoide* distincta *proboscide* non in haustellum filiforme elongata, et palpis brevibus, non incurvis nec sub-compressis: sed ab utraque statim distinguenda venis longitudinalibus alarum extrinsecus tribus non duabus, quia posterior magis vel minus longe ab apice bifida etc.

Exemplaria duo observata Musei Civici Januensis in Insula Amboina lecta fuerunt a Cel. O. Beccari, quorum habitatio non indicavit.

Vide tamen circa mores speciei observationes ad praecedentem.

(Nota). Si differentia venarum alarium inter istam et caeteras *Myiophthirias*, tanti praetii consideratur, ut sp. *lygaeoides* typica consideranda sit generis proprii, tunc istud vocandum erit *Myiocoryza*.

Gen. **Ornithomyia** Latr.

A. Segmentum ultimum venae costalis valde longius praecedente.

Sp. 1. — **O. andajensis** n. *Long.* mill. $4\,{}^{1}/_{3}$.

Nigra, *thoracis* dorso nitidissimo, vix humeris pallide testaceis, ut basis scutelli. — *Proboscis* cum palpis nigricans, brevis.

Frons nigricante nitida, vitta transversa verticis et macula sub-trigona prope antennas sordide flavidis.

Antennae lutescentes, basi nigricante et nigro-pilosae.

Abdomen nigricans, opacum, punctis minimis elevatis et crebris scabriculum; in medio dorsi foveolis duabus impressum, et ad apicem tuberculis quatuor parvis nitidis, parum prominentibus.

Alae limpidae, sub-decolores, venis anterioribus nigricantibus: costalis segmento ultimo, praecedentibus simul sumptis longiore: transversa intermedia circiter aequidistante ab exteriore et interiore. *Pedes* sordide glauci, partim nigricantes praecipue in parte supera femorum.

Unicum exemplar vidi Musei Civici Januensis, lectum ad Andai in Nova Guinea sept. a Cel. O. Beccari, sed hospite non determinato.

Sp. 2. — **O. Gestroi** n. *Long.* mill. 6-7.

Corpus superne fusco-nigricans; *capite* luteo, frontis medio excepto: *Clypeum* supra os flavicans, areola parva mediana impressa, nigra. *Proboscis* flavo-testacea.

Antennae ut *palpi* lutescentes, illae squamiformes, mediocres, nigro-pilosae.

Thorax disco dorsuale nigro nitente, humeris, lateribus, pectore et vitta basale transversa scutelli lutescentibus.

Abdomen fusco-obscurum, opacum, basi anguste et fascia longitudinale in medio ventris sub-luteis.

Alae vix turbidae, ima base albicante nigro-maculata; venis majoribus nigricantibus; costalis segmento ultimo valde longiore praecedente: longitudinale prima circiter contra transversam intermediam costali conjuncta; secunda satis ante, et tertia manifeste ultra transversam exteriorem in costa desinentibus: transversa intermedia circiter aequidistante ab exteriore et interiore.

Pedes late obscure fusci, tibiis anticis totis, et femoribus crassis inferne et antice plus vel minus sordide luteis; tarsis posticis nigricantibus, articulis intermediis pallidiusculis: anticis sub-luteis, ut late etiam intermediis (1).

(1) Notis pluribus similis *O. metallicae* Schml. sed certe distincta, praesertim, proboscide lutescente non nigra; tibiis praesertim anticis linea nigra anteriore non marginatis; femoribus satis crassis; tarsis intermediis non totis nigricantibus, et statura circiter duplo majore, etc.

FAEM. *Abdomen* apici sulco longitudinale superius impressum, utrinque tuberculis duobus setuligeris concomitato, superis nigro-nitidis, inferis luteo-testaceis.

Specimina aliqua Musei Civici Januensis lecta fuerunt a Doct. Gestro ad Insulam Galitam in mare tunetano, *Falconis Eleonorae* parasita.

B. Segmentum ultimum venae costalis plus minusve brevius praecedente.

Sp. 3. — **O. Bellardiana** n. *Long.* mill. 7-8.

Corpus nigro-piceum; *capite,* margine anteriore thoracis aut saltem humeris, *scutelli* vitta basali magis vel minus manifesta, vel rubescente-testaceis vel rufis.

Oris labium, et *antennae* capite concoloria; istis latis et longis, organa oralia tegentibus, et *fulvo-pilosis.*

Abdomen dorso nigricante, basi plus minusve anguste pallida, apice luride albicante, ventre obscure fusco.

Alae paulo et aequaliter fuscescentes etiam angulo interiori: vena secunda longitudinale costam attingente contra, nisi fere ante transversam exteriorem: distantia tertiae in costale a secunda, magis quam dupla distantiae a quarta: vena transversa intermedia longior aut sub-aequale distantia ab exteriore.

Pedes sordide glauci, femoribus superius fuscis: tibiis antice et postice anguste nigricante-marginatis: tarsis obscuris, posteriorum articulis basalibus intus sub-glaucis.

Observ. — A sequentibus *G. Batchiana* et *hatamense,* quibus habitu et statura similis, statim dignoscenda pilis antennarum fulvescentibus non nigris.

Ab *erythrocephala* Lch. praecipue difert labio supra os non albido, sed capite rufescente concolore; abdomine non luteo sed nigricante etc.

Specimen Musei Civici Januensis et meum, ex collectione Prof. Bellardi provenientia, qui plura exemplaria speciei possidebat in Mexico lecta, sed habitatione eorum ignota.

Sp. 4. — **O. batchiana** Bell. *Long.* mill. 8.

Statura, habitu, et notis capitis, pedum etc. praecedenti similis, sed faciliter ab eadem distinguenda, et praecipue, *antennis* nigro, non fulvo-pilosis: praeterea:

Alarum venula transversa intermedia circiter duplo breviore distantia ab exteriore, non sub-aequale: vena longitudinale secunda manifeste paulo producta ultra transversam exteriorem, non fere ante, costali conjuncta.

Scutellum in speciminibus duobus a me observatis basi non pallide vittatum etc.

Notis distinctivis adde etiam patria satis diversa ut infra:

Exemplar unum Musei Civici Januensis ad Grafton in Australia lectum fuit a Cl. L. M. D'Albertis, et aliud collectionis Bellardi insulas Philippinas habitat, dum sp. *Bellardiana* in Mexico lecta.

Omnium hospites ignoti.

Sp. 5. — **O. hatamensis** n. *Long.* mill. 7-7 $^1/_2$.

Similis fere in omnibus *batchianae* praecedenti, et cum eadem facillime confundenda, tamen certe diversa, et praecipue distinguenda; vena prima longitudinale alarum, non aut vix contra transversam intermediam costali conjuncta, non manifeste ultra: vena secunda non ultra transversam exteriorem decurrente: venae costalis segmentum ultimum saltem duplo brevius praecedente, non ejusdem medietate longiore, etc.

Quibus adde patriae differentia.

Ab *O. Bellardiana* statim distinguenda, prae caeteris, antennarum pilis nigricantibus, non fulvescentibus.

Exemplaria duo observata in Museo Civico Januense extant, ad Hatam in Nova Guinea inventa a Cel. O. Beccari, sed mores eorum non notavit.

Sp. 6. — **O. fusciventris** Wdm.
testacea? Macq.

« Mellea, abdomine fusco: pedibus viridibus » Wdm. (Kentuky).

« Tête et thorax d'un testacé luisant; abdomen grisâtre; pieds verts, tarses noires; ailes un peu jaunâtres » Macq. (Columbia).

Caeteri characteres distinctivi sunt:

Clypeum supra os puncto basale impresso.

Frons puncto ocellare nigricante notata.

Caput et *thorax* sub-testacea, cum scutello.

Abdomen fuscum.

Antennae capite concolores, latiusculae, organa oralia tegentes.

Alae leviter fusco-sub-luteae: vena longitudinale secunda costalem attingente contra transversam exteriorem, ista modice distante ab intermedia, quae late decolor observatur: tertiae longitudinalis distantia a secunda, in costale, dupla et ultra distantia a quarta.

Pedes lutei sub-glaucescentes, tarsis obscuris.

In Mexico lecta, parasita *Pyrangae hepaticae* Swns.

Coll. Bellardi.

Sp. 7. — **O. pallida** Say. Wdm.

« Pallida: cellula alarum intermedia apici cellulae externae approximata » Wdm.

Dilute sub-testacea, puncto ocellare, *palpis* et *antennis* nigricantibus, istis apici pallidis.

Thorax vitta dorsuale fusca signatus.

Alae vix sub-lutescentes, vena secunda longitudinale costam attingente manifeste ante non contra transversam exteriorem; ista fere in eadem linea sita cum interiore, quae partim decolor observatur: tertiae longitudinalis distantia a secunda, in costale, parum non duplo longior distantia a quarta.

Abdomen dorso griseo sub-luteo, ventre et *pedibus* pallide sub-glaucis, tarsis et linea marginale tibiarum fuscis.

Prius in Pensylvania inventa *Sylviae sialis* parassita: sed specimen a me observatum collectionis Bellardi in Mexico inventum, hospite non determinato.


Gen. **Ornithoica** n.

Antennae tuberculiformes, setis paucis apicalibus incurvis.

Palpi ut *proboscis* brevissimi.

Scutellum margine multisetoso.





Alae satis longiores abdomine, apici rotundatae, margine antico basi villosulo, et extra setulis brevibus, rigidis ciliato: ad radicem areola axillare distinctissima: vena tertia longitudinale a transversa exteriore sursum flexa et costalem attingente satis longe ab ejusdem apice, et ipsae connexa longe in margine decurrente.

Aliis notis proxima *Ornithomyis* partim, et *Olfersiis* partim.

Sp. typ. — **O. Beccariina** n. Long. corp. mill. 2-2 $^1/_4$.

Nigricans, humeris aliquando sordide testaceis.

Antennae apice magis vel minus pallido, setis apicalibus nigris, paucis, longis, una longiore.

Alae dilute fuscae, vena costale punctis pallidis notata, aliquibus prope basim, uno contra apicem venae secundae longitudinalis, quae in costa satis distat a tertia magis quam tertia a quarta: transversa intermedia antice incompleta et magis proxima exteriori quam axillari: istarum exteriore satis ante apicem sita tertiae longitudinalis.

Pedes plus vel minus nigricantes, femoribus basi, et annulo medio tibiarum, praesertim posticarum, pallidioribus vel subtestaceis.

Exemplaria observata Musei Civici Januensis, in Amboina lecta a Cel. O. Beccari, *Ardeae albae* parasita.

Gen. **Olfersia** WDM.

Sp. 1. — **O. Macquartii** mihi Long. mill. 5.

fusca MACQ. (olim in scheda).

Nigricante-picea: *proboscide* lutescente, basi crassiuscula et in linguam filiformem elongata.

Palpi elongati, sub-erecti, nigricantes, sub-conici.

Frons non distincte foveolata nec punctis impressis signata, labio supra os sub-lutescente: orbitis angustis et areola verticis levibus nitentibus; area verticale antice in medio incisa, et in specimine nostro paulo ferruginante.

Thorax in dorso cum scutello nitens.

Abdomen nigricans, opacum, nigro-setigerum, lateribus et basi pallidis.

Alae fuscae, venis obscure sub-luteis, abdomine duplo et ultra longiores: vena prima longitudinale contra transversam interiorem desinente; secunda costalem attingente sic longe a transversa exteriore circiter ut ab interiore: tertia in costale satis remota a secunda et proxima quartae: transversa interiore dimidiata, non obliqua.

Pedes fusci, femoribus basi paulo luride glaucis.

Unicum exemplar possideo, olim a Cel. Macquartio missum, *O. fuscae* nomine (in scheda) distinctum, ex regione Novae Grenatae proveniens.

(Obs.) Nomen *fuscae* non servavi exemplari observato, non solum quia diagnosis qua Cl. Auct. eam distinxit « *fusca alis fuscanis* » non consideranda, pluribus congeneribus conveniens; sed etiam quia specimen missum erronee *O. fuscae* relatum fuisse cogito, nam characteres tanti praetii quibus nostra distincta est, si in *fusca* typica extarent, in diagnosi Cl. Auctoris non obliti essent.

Sp. 2. — **O. pallidilabris** n. Long. mill. 6-7.

Corpus nigrum; *labio* sordide albicante; *fronte* nec foveolata nec punctis impressis signata, orbitis angustis et areola verticis pumicatis, ista antice rotundata non in medio incisa.

Proboscis nigricans in linguam filiformem non elongata.

Palpi nigricantes, proboscide paulo longiores, et ad latera eam tegentes, non erecti.

Thorax in dorso, cum scutello nitidissimus.

Abdomen opacum, pilosulum, apici plus minusve luride albicans.

Alae infuscatae, fuscedine postice versus basim dilutiore: venis nigris: secunda longitudinale, parum sed paulo ante transversam

exteriorem costalem attingente: tertia, in costa magis distante a quarta quam a secunda: transversa exteriore non obliqua, et paulo ante apicem sita primae longitudinalis.

Pedes nigricantes, partim sordide glauci, praesertim antici, ut femora omnia subtus et basi.

Exemplaria duo observavi Collectionis Bellardi in Mexico lecta, sed hospite ignoto.

Sp. 3. — **O. obliquinervis** n. Long. mill. 6-7.

Nigro-picea: *Frons* puncto impresso supero, et minore infero prope os, signata: Verticis areola latiuscula, subtrigona, et orbitis angustis nitidissimis.

Palpi et *proboscis* breves, nigricantes.

Abdomen nigro-opacum, apice plus minusve sordide albido.

Alae infuscatae, angulo interiori axillari fuscedine dilutiore.

Pedes nigricantes, femoribus basi, et paulo etiam inferne luride glaucis etc.

Notae istae *O. fuscipenni* Macq. et aliis congeneribus etiam conveniunt, sed in nostra characteres adsunt magni momenti in diagnosibus auctorum non indicati, specificam differentiam comprobantes; ut sequitur.

Sp. nostrae alae ad radicem tuberculum distinctum, elevatum, nitidum praebent: venulam transversam interiorem valde obliquam, sub-integram, et interius longe ab apice longitudinalis primae sitam: secundam longitudinalem costali conjunctam distincte ultra transversam exteriorem, et in costa magis proximam tertiae quam primae: tertiam magis proximam quartae quam secundae.

Praeterea *fuscipennis* brasiliana, et *obliquinervis* mexicana.

Specimina duo observata in Coll. Prof. Bellardi extant.

Sp. 4. — **O. papuana** n. Long. mill. 4.

Sordide lutescente-grisea, pedibus satis pallidioribus.

Frons macula fusca antica prope antennas signata.

Antennae summo apice cum setis terminantibus, et unguibus tarsorum atris.

Palpi satis elongati, sub-compressi.

Alae fere limpidae, venis anterioribus nigricantibus, transversa interiore distinctissima et satis remota ab exteriore: vena costale ab apice secundae longitudinalis ad quartam distincte incrassata: prima longitudinale manifeste producta ultra transversam interiorem: secunda costali conjuncta satis ante transversam exteriorem: tertia ad apicem magis proxima quartae quam secundae: costalis segmento ultimo fere duplo breviore penultimo.

Pedes pallidi, sub-diaphani, parce setulosi.

Unicum exemplar speciei observavi Musei Civici Januensis, ad Hatam in Nova Guinea sept. captum a Cel. O. Beccari, sed hospite non determinato.

Gen. **Hippobosca** Lin.

Specierum hic descriptarum, notae praecipuae distinctionis.

A. Vena tertia longitudinalis costam attingens a secunda distincte sejuncta.

B. *Scutellum* superne albicante eburneum.

Sp. 1. — **canina** Rndn.

BB. *Scutellum* lateribus plus minus fusco-rufis vel ferrugineis, macula media albidi-lutescente.

Sp. 2. — **equina** Lin.

AA. Vena tertia longitudinalis costam attingens apici secundae connexa vel contigua.

C. Vena longitudinalis tertia in venulam sub-transversam brevissimam mutata.

Sp. 3. — **aegyptiaca** Macq.

CC. Vena tertia modice longa et obliqua, non in transversam brevissimam mutata.

D. Epistomii margo, et abdomen apici albicante-pilosa.

Sp. 4. — **bactriana** n.

DD. Epistomii margo anticus nigro-setulosus.

Abdomen apici setulis et pilis nigricantibus et pallidis permixtis.

Sp. 5. — **camelina** Savg.

Sp. 1. — **H. canina** RNDN.

Sp. similis *equinae* Lin. et cum eadem facilius confundenda, sed distincta, statura minore, pictura pallidiore, et praecipue colore scutelli et partium oris.

Illud in nostra sp. totum superne albicante sub-eburneum, non ad latera ferrugineum nec rufo-testaceum, macula tantum centrale flavido-albicante.

Organa vero suctoria rufescentia vel lutescentia, non nigricantia nec fusco-picea: praeterea vitta frontalis pallide rufa non obscure fusca; venae alarum dilute testaceae non nigricantes etc.

In tota Italia et in Europa saltem australe legitur cum sequente permixta, mammalibus variis molesta, et minus raro in canibus; sed exemplaria speciei observavi Musei Civici Januensis in Persia lecta a March. J. Doria; et specimina collectionis Bellardi in Africa australe et orientale inventa.

Sp. 2. — **H. equina** LIN.

Similis praecedenti sed major et obscurior, et praecipue distincta colore scutelli et partium oris ut supra notavi: scilicet, scutello superne ad latera magis vel minus ferrugineo vel rufo macula centrale pallida, non toto albicante sub-eburneo; et proboscide cum palpis nigricante vel picea non rufescente vel lutescente etc.

Non solum in tota Europa vivit equis, bobus, canibus et aliis animantibus molesta, sed exemplaria observavi Musei Civici Januensis et collectionis Bellardi, in Africa et in Insulis Canariis lecta.

Sp. 3. — **H. aegyptiaca** MACQ.

Ab omnibus congeneribus facillime distinguenda, vena tertia longitudinale in venulam brevissimam sub-transversam mutata, quae in costale cum apice secundae conjungitur, et postice oritur a quarta inter duas transversas ordinarias, scilicet extra interiorem et ante exteriorem.

Praeterea *palpi* nigri sunt vel nigricantes.

Scutellum pallidissime lutescens, maculis duabus ferrugineis extra medium notatum.

Pedes rufescentes, posticis femorum et tibiarum apice magis vel minus fuscis; tarsis omnibus, et magis posticis ferruginantibus.

Alae dilute fusco-luteae, venis testaceis.

Abdomen fuscum, totum etiam apici albidi pilosum etc.

Sp. Camelorum parasita, prius in Aegypto lecta; postea a March. J. Doria etiam in Persia inventa.

Collectionis Musei Civici Januensis, et Prof. Bellardi.

Sp. 4. — **H. bactriana** n.

Similis habitu praecedenti, sed semper paulo major et faciliter dignoscenda longitudine et obliquitate venae tertiae longitudinalis satis majoribus, orientis a quarta manifeste ante transversam interiorem non extra, quamvis pari modo apici costalem attingat apici secundae conjunctim.

Praeterea, palpi rufi vel testacei, vix aliquando linea fusca marginali ad apicem cincti, numquam nigricantes.

Epistomii margo anticus albidi pilosum setulis nigris neque parvis praeditus.

Scutellum lateribus plus vel minus ferrugineis, macula media flavo-albicante, non lineare.

Alae circiter ut in praecedente tinctae.

Pedes rufi, tarsis vix fuscioribus: postici raro apice femorum et tibiarum parte dilute fuscis.

Abdomen ut in *aegyptiaca* fuscum, totum etiam apici albidi pilosum, setulis nullis vel pilis nigricantibus permixtis.

Exemplaria observata Musei Civici Januensis in Persia lecta a M. J. Doria, et in Massaua a Clar. O. Beccari, *Camelis*, praesertim sp. *bactrianae* molesta.

Sp. 5. — **H. camelina** Svgn.

Congeneribus distincte major et obscurior, tamen duabus praecedentibus habitu et conjunctione venae tertiae, in costale, cum apice secundae similis, sed notis variis ab una et altera certe diversa.

Ab *aegyptiaca* difert praecipue: vena tertia longitudinale longiuscula et valde obliqua, non in venulam transversam brevissimam mutata, quo charactere similis *bactrianae;* sed etiam ab hac distincta est.

Palpis intus rufescentibus, apici determinate nigricantibus, non totis rufo-testaceis.

Pedibus plus minusve fuscis et fusciore-vittatis; non totis vel fere totis luteo-testaceis.

Scutello ferrugineo vitta sub-lineare intermedia pallide subflavescente.

Epistomii margine antico, quamvis brevissime, nigro-setuloso: et *abdominis* apice setulis nigris et pilis pallidis permixtis, non albidi-totis villosis.

Speciei exemplaria observavi Musei Civici Januensis et Collectionis Bellardi, omnia in variis plagis Africae lecta, ubi *Cameli dromedarii* parasita.

Fam. STREBLIDAE, Klnt.

Gen. **Brachytarsina** Macq.

Sp. 1. — **B. amboinensis** n.

Char. Gen.

Corpus hirtum; *Caput* parvum sub-globulare, oculis a pilis tectis.

Proboscis brevissima; *antennae* paulo longiores proboscide et pluri-setigerae; *alae* margine toto crebre ciliato.

Pedes crassiusculi, tarsis brevibus, articulo apicale satis crasso, et unguibus duabus simplicibus, scilicet nec bifidis nec trifidis, terminantibus. — *Thorax* grandis, scutello latiusculo etc.

Quae notae, sp. nostram in genere Macquartiano locandam esse indicant, sed aliis characteribus a specie typica congenere distinctam, inde eam voco:

B. amboinensis, et sic breviter describo.

Rufo-testacea, crebre fulvo-hirta, pedibus dilute rufescentibus, conjunctionibus tibiarum et femorum fusco-notatis.

Alae satis longiores abdomine, dilute flavescentes, costa anguste sed distincte fusco-lutei limbata.

Pedes femoribus superne longe pilosis; tibiis extra breviter ciliatis: uncis tarsorum nigris, basi rufescentibus, maxime incurvis, et extrinsecus simplicibus, non denticulatis: articulo ultimo satis incrassato, et longiore praecedentibus conjunctim, et simul neque mediam longitudinem tibiarum aequantibus.

A sp. flavipenne Macq. statim distinguenda tarsorum structura, et praecipue uncis extrinsecus non spinulosis: quibus notis similis *Raymondiae africanae* Wlk. (Huberi Frfld.), sed venis alarum statim dignoscenda, thoracis, scutelli et abdominis structura etc.

Specimen unicum observavi Musei Civici Januensis in Amboina a Cel. O. Beccari inventum, sed animale in quo vivit non determinato.

Gen. **Strebla** Wdmn.

(Obs.) Species typica St. *vespertilionis* Wdm., Latr., Macq., Gray, exclusa synonimia Fabricii quia satis dubia; characteres genericos sequentes praebet.

Antennae et *proboscis* non observandae.

Oculi minuti in parte posteriore laterali capitis siti, et partim inferi.

Caput et *thorax* subglabra, *abdomine* glaberrimo.

Alae margine non neque brevissime ciliato: venis longitudinalibus sex, extrinsecus parallelis, et venulis tribus transversis perpendicularibus in medietate apicale alarum sitis.

Pedes parum et brevissime setulosi; tarsis pentameris, articulo apicale non manifeste crassiore praecedentibus etc.

Speciei exemplaria aliqua observavi quibus notae istae genericae omnes conveniunt, inde *Streblis* referenda, sed differentiis non nullis specifice distinguenda esse cogito a typica *vespertilionis*, ut ex. gr.

Abdomen luteo-pallidum unicolor, non fuscum.

Scutellum paulo apparens et postice longe setigerum, non sub-nullum et nudum ut in figura Wiedmanni, nec distinctum et glabrum ut in fig. Macquartii.

Capitis et *thoracis* margines laterales prominuli, non rotundati etc.

A str. *avium* Macq. etiam diferre videntur.

Abdominis colore pallide lutescente non ferrugineo.

Pedibus abdomine concoloribus, non rufo-fulvis.

Alarum venis tribus ultimis longitudinalibus margini non productis etc.

Ideo, quamvis dubitanter, exemplaria mihi nota speciei distincte refero, sic a me breviter descriptae et nuncupatae.

S. mexicana n.

Caput et *thorax* ferruginea, sub-glabra, et marginibus lateralibus prominulis, non rotundatis.

Scutellum paulo apparens, postice longe setigerum, e thoracis colore.

Abdomen nudum, totum pallide-lutescens.

Alae dilute flavae, venis longitudinalibus ut in *S. vespertilionis* dispositis, et pari modo, tribus ultimis paulo abbreviatis, non margini productis.

Pedes abdomine concolores, sub-nudi etc.

Specimina observata collectionis Bellardi in Mexico lecta fuerunt, sed animalia in quibus parasita vivunt non designata.

(Nota). *Str. Wiedmannii* Kol. non addenda synon. *vespertilionis*, et non solum specifice sed etiam generice eam sejungendam esse pro certo habeo, nam excepta tantum dispositione venarum alarium, caeteris notis magni momenti sp. Kolenatii distinctissima a *Str. vespertilionis* Wdm. et revera ab hac difert.

Antennis distinctis et setigeris, non absconditis.

Oculis latis, superis, sub-intermediis, non minutis, posticis, et sub inferis.

Alis manifeste margine fimbriato, non nudo nec subnudo.

Tarsis tetrameris non pentameris et articulo ultimo satis crassiore praecedentibus, non sub-aequaliter exile.

Corpore tandem pilosulo, non glabro nec sub-glabro etc.

Qui characteres generis novi institutionem petunt, quod voco

Kolenatia m.

cujus species typica erit *Strebla Wiedmannii* Kol. exclusis synonimis, a cl. auct. citatis.

Genus a *Raymondia* Frfld.; et *Brachytarsina* Macq. praecipue distinguendum, venarum in alis dispositione diversa: tarsorum structura, oculorum latitudine et positione, antennarum distinctione etc.